

Ens necessarium. Ens quod non potest non esse. Solus Deus.

Ens contingens. Ens quod potest esse aut non esse. Omnes praeter Deum.

Ens finitum. Id cujus entitati limites praefiguntur.

Ens infinitum. Id cujus entitas limites non patitur.

Ens indefinitum. Aliquid *non definitum*, seu quod habet quidem in se limites, sed ubi consistent a nobis designari non potest ; unde indefinitum est quid essentialiter finitum, quod augeri et minui pro lubito potest. Sic mathematicus dicit : supponamus lineam indefinitam, hoc est lineam cujus limites non sint determinati.

Mutatio. Transitus entis ab uno ad alterum modum se habendi.

Mutationis elementa. Tria essentialiter requiruntur ad mutationem, nempe : 1o terminus *a quo* subjectum mutabile mutatione abscedit ; 2o terminus *ad quem* subjectum mutabile mutatione pergit, sive terminus iste sit negativus, sive positivus ; quod idem est dicendum de termino *a quo* ; 3o subjectum ipsum mutabile, quod a termino *a quo* recedens transit ad terminum *ad quem*. A termino *ad quem* mutatio speciem et denominationem habet, quia ad illum tendit et in illo absolvitur mutatio ; unde communiter dicimus aquam calefieri cum ex frigida fit calida.

Mutatio substantialis. Transitus subjecti de una ad aliam naturam ; ita cibus mutatur substantialiter cum, peracta digestionem, in carnem, sanguinem aliasque partes corporei organismi convertitur.